

Dabo te in lucem gentium.

Léctio libri Isaíæ prophétæ

49, 1-6

¹ **A**udíte me, ínsulæ,
et atténdite, pópuli, de longe;
Dóminus ab útero vocávit me,
de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei;
² et pósuit os meum quasi gládium acútum,
in umbra manus suæ protéxit me
et pósuit me sicut sagíttam eléctam,
in pháretra sua abscóndit me
³ et dixit mihi:
«Servus meus es tu,
Israel, in quo gloriábor».
⁴ Et ego dixi:
«In vácuum laborávi,
sine causa et vane fortitúdinem meam consúmpsi;
verúmtamen iudícium meum cum Dómino,
et merces mea cum Deo meo».
⁵ Et nunc dicit Dóminus,
qui formávit me ex útero servum sibi,
ut redúcerem Iacob ad eum,
et Israel ei congregarétur;
et glorificátus sum in óculis Dómini,
et Deus meus factus est fortitúdo mea.
⁶ Et dixit:
«Parum est ut sis mihi servus
ad suscitáandas tribus Iacob
et relíquias Israel reducéandas:
dabo te in lucem géntium,
ut sit salus mea usque ad extrémum terræ».

Verbum Dómini.